



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Thesavrvs|| Locorvm|| Commvnivm|| Jvrisprvdentiaē

Barbosa, Agostinho

Lipsiæ, 1697

Cap. XII. De Actione confessoria & negatoria.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80071](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80071)

VII.

Actio inutilis cedenti reputatur etiam inutilis cessionario. *l. apud Celsum. §. de auctor. ff. de dol. except.* Exceptio est in *l. qui fidejussor. ff. de fidejussor.* ubi, si ex duobus fidejussoribus in solidum unus est coactus à creditore, ut solvat, post solutionem creditor non potest amplius agere, & tamen qui solvit, potest petere cessionem actionis contra confidejssorem. *l. fidejussoribus. eod. tit.*

CAP. X.

De actione directa & contraria.

Axioma I.

Quoties in contractu bilaterali uterque ab initio obligatur, toties una tantum datur actio, quæ utrique contrahentium æqualiter competit & vocatur directa, quia ob directam & principalem causam obligationis, quæ utrinque subest, utrique parti æquale jus competit. Exempla sunt emptio, locatio, societas, &c.

II.

Quoties in contractu bilaterali unus ab initio, alter ex postfacto obligatur, toties contra illum datur actio directa, contra hunc contraria, quia alter principaliter obligatur, alter ex accidenti & per consequentiam. Exempla sunt in commodato, pignore, deposito, mandato, negotiorum gestione, administratione tutelæ, &c.

III.

Omnis actio contraria datur ad indemnitatem. Veritas hujus axiomatis patebit ex inductione specierum, ejusque fundamentum potissimum est, quod beneficium suum nemini debeat esse damnosum.

CAP. XI.

De actione reali, personali & mixta.

Axioma I.

Quæcunque actio ex jure in re oritur, ea est realis, nam jus in re est fundamentum actionum realium, & natura harum actionum potissimum in eo consistit, quod rem, ubicunque illa sit, afficiant, & contra quemcunque possessorem dentur. Exemplo sunt vindicatio, actio confessoria, hypothecaria & hereditatis petitio.

II.

Quoties actio ex contractu vel ex delicto oritur, toties est personalis. Quia sic agitur contra personam citra respectum ad ipsam rem.

III.

Quoties ex utroque, scilicet ex jure in re & ex obligatione personali actio oritur, toties ea est mixta §. 20. *Inst. de Action.* Ita enim participat de utroque & mixtam naturam habere videtur. Exempla sunt in *d. §. 20.* Sic actio communi dividundo, quatenus datur ad divisionem rei com-

munis, ex condominio adeoque jure in re oritur; quatenus verò venit ex facto alterutrius condominorum qui solus in possessione fuit, adeoque solus lucra percepit aut impensas erogavit, eatenus oritur ex quasi contractu & est personalis. Idem obtinet in actionibus familiæ herciscundæ & finium regundorum.

IV.

Actiones reales differunt à personalibus in quatuor: origine scilicet, naturâ, effectu & nomine. In rem scriptæ sunt personales origine & effectu; reales verò sunt natura & nomine.

CAP. XII.

De Actione confessoria & negatoria.

Axioma I.

Quoties quis se fundat in libertate naturali, in qua turbatur, toties ei competit actio negatoria. Quia hæc actio etiam de jure Canonico se fundat in libertate naturali: Ad exemplum autem servitutum hæc actio aliis quoque juribus applicatur, ut jus venandi, braxandij, academias habendi, ecclesias extruendi, dotandi, uniendi, conciones funebres suscipiendi, & reliquis innumerabilibus, quorum partem enarravit *Dn. Suendendorff. in Exposit. Action. Forens. Expositionis specialis section. 2. membr. 1.*

Limita, ut procedat, nisi libertas naturalis generaliter observantia, vel consuetudine sit immutata, uti ferè contingit in libertate venandi, piscandi, &c.

II.

Quoties quis se fundat in jure singulari seu privilegio, toties ipsi competit actio confessoria. Ejusmodi jura singularia sunt servitutes & alia. *Conf. Axiom. præced. & Oldendorp. de Action. Class. 3. act. 4.*

CAP. XIII.

De Actore.

Axioma I.

Quod conceditur actori, censetur etiam concessum reo. Nam actor & reus judicantur ad paria, etiam quoad privilegia. Hinc cum proximi sacrorum scriniorum habeant privilegium solvendi tantum dimidias sportulas, etiam cum his litigantes hoc privilegio gaudent. *l. 12. C. de proxim. sacror. scrin. Brunnem. C. eod. col. 3. n. 2.*

II.

Actor nunquam auditur, nisi sua inter sit *l. f. patroni §. fideicommissariam. ff. ad SCrum Trebell. Tinquell. de utr. retinet. lib. 1. §. 1. gloss. 2. n. 53.* & si ex facto postea desinat sua interesse, decet cessare ab actione *l. procuratorem §. mandati. ff. mandati. Tinquell. in tractat. de morti suis §. 2. part. 4. declarat. n. 9. f. 63.*

CAP.